



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

XVi. Ivlii. B. Egino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

BEGINO Augustæ natus, & à teneris in Monasterio SS. Vdalrici & Afræ educatus, & sacris literis eruditus miros in virtutum stadio progressus fecit. Tempore verò Schismatis Henriciani in S. Blasii cœnobium secessit, vbi etiam Gebhardo Constantiensi Episcopo, eadem causâ sede pulso familiaris effectus, eiusdem laborum comes individuus, ab eodem semel ac iterum ad summum Pontificem ablegatus fuit. Inde ad Monasterium suum reuocatus Augustam, eidem Abbas præfectus fuit, A. C. MCIX. Vbi reformationi sedulè insistens, miraculis etiam claruit. Sed cum Hermanno Episcopo excommunicato communicare nollet, ab eodem Cœnobio pulsus est; vbi stupenda acciderunt. Nam impio armatâ manu irrumpte, ambitus claustrî terræ motu fortiter concussus est, & Campanili nutante, campanæ vtrò sponte suâ sonatum ediderunt. Adhæc tumba S. Afræ, ferreis vinculis dissilientibus, ferè reserata est. EGINO cum duodecim fratribus euasit, & acceptis à Moguntino Archipræsule litteris commendatitiis, Rosellæ à Summo Pontifice benigne acceptus, cum eodem Romam profectus est. Vbi acceptâ de manu Pontificis sacrâ communione, & non semel ab eodem exosculatus, benedictione acceptâ, impetratisq; quæ postulauerat, in reditu Pisis in morbum incidit, vbi sacramentis Ecclesiasticis munitus, sæpiusq; Psalmum *Laudate pueri Dominum* pronuncians, tandem in ultimo versu beatam Deo animam reddidit XV.

Iulii A. C. M CXXII. Quiescit in S. Michaëlis Camaldulensis templo. Ex vita per Vdal-

scalcum.

ILLVX

B. EGINO



B. EGINO ABBAS ORD.S. BEN.
Hic cum ab Hermanno Episcopo excommunicato
exagitatus Augustâ profugeret, Roma a Paschalî
II. P.M. benignè exceptus, in redditu Pisis uita exce-
ssit, miraculis clarus. XV. Jul. A.C. MCLXVII.

CCWM

O 2

VI AVGV